

401. *An? et quando pauperes, debeant, personaliter Romam pergere pro dispensatione in forma pauperum?* — Resp. IV. Oratores, qui infra centum milliaria (intellige italica, quorum unum mediam horam non omnino efficit) ab urbe Roma distant, et saltem in tertio, vel secundo et tertio gradu conjuncti sunt, ipsimet cum attestati ordinarii Romam personaliter se conferre, et ibi pro dispensatione in forma pauperum sollicitare debent, non item qui in remotioribus quarto nempe vel tertio et quarto conjuncti sunt, vel se attinent.

Quod si in primo, vel primo et secundo, aut secundo æquali, vel primo et tertio conjuncti inveniuntur, oratores pauperes debent, non obstante quacunque paupertate, et distantia, pro impetranda dispensatione in forma pauperum personaliter tendere Romam, ferentes secum attestationem ordinarii de eorum paupertate. Eo quod regulariter loquendo cum ita conjunctis Papa in forma pauperum foro externo non dispenset, nisi oratores personaliter Romæ se præsentent, etsi mendicando illuc ire, vel redire debeant. Ita ex praxi et stylo curiæ docet Corrad., lib. VIII, cap. v, a nu. 25. addens tamen, Papam subinde ex speciali et extraordinaria gratia pro oratoribus præsertim ultramontanis expedire litteras dispensationis in forma pauperum, etsi in dictis propinquis gradibus conjuncti Romam personaliter non accedant.

402. *Interrogatoria ab Urbano VIII, præscripta, proponenda testibus pro informatione de paupertate oratorum.* — Quæritur IV. Qualiter in praxi ordinarii informationem de paupertate oratorum capere: qualiter item de eadem testari possint et debeant? Resp. I. pro capienda informatione de paupertate oratorum, debent ordinarii procedere juxta novissimam instructionem Urbani VIII, vi cujus duos saltem idoneos testes assumere, eosque examinare debent super interrogatoriis sequentibus ab ipsa curia præscriptis, juxta tenorem sequentem.

« In primis testis moneatur de gravitate juramenti, in hoc præsertim negotio, ob illius importantiam et gravitatem. »

Interrogentur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, et habitatione.

Interrog. an sit civis, vel exterus, et quantum sit exterus, a quanto tempore sit in loco, in quo deponit.

Interrog. an ad examen accesserit sponte vel requisitus.

Interrog. an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus.

Interrog. an cognoscant ipsos contrahere volentes, a quanto tempore.

Si responderint negative, dimittantur.

Si responderint affirmative, interrog. quid sponsus in omnibus suis bonis, generis cujuscunque, possideat? et ad quem valorem? et in causa scientiæ.

Interrog. quid, si bona prædicta locarentur, annuatim ex illis percipere posset? et in causa scientiæ.

Interrog. an alibi alia bona habeat; ex quibus majores fructus percipere posset? et in causa scientiæ.

Interrog. an esse possit, quod sponsus alia bona possideat, ipso teste ignorante? Si negaverit, det rationem suæ negativæ.

Interrog. an sciat, quam dotem habeat sponsa, vel alia bona, et in quod consistat, an in mobilibus, vel immobilibus.

Interrog. quid, dotem locantem, percipere posset annuatim? et in causa scientiæ?

Interrog. quæ onera tam sponsus quam sponsa habeant super bonis prædictis, tam ordinaria, quam extraordinaria? et in causa scientiæ.

Interrog. an sciant inter oratores aliquod parentelæ vinculum intercedere, et quale? si affirmant.

Moneantur delineare arborem, et dicere, quas personas ex illa cognoverint, et quomodo ab aliis reputarentur?

Interrog. an oratores orthodoxæ fidei cultores existant? et in causa scientiæ.

Interrog. an ipsi testes in Paschate communicaverint?

403. *Formula attestandi de paupertate oratorum.* — Resp. II. Si finito examine reperit ordinarius, ambos oratores esse revera pauperes et miserabiles, suisque labore et industria tantum vivere juxta dicta hoc § debet eisdem dare attestationem tenoris sequentis, aut similis.

« Nos, etc. **Universis et singulis** præsentibus visuris, lecturis, pariter et auditoris, notum facimus, et attestamus Paulum N. et Annam N. diocesis nostræ (si alterius diocesis

ambo, vel unus eorum existentes in attestantis diocesi tantum haberent domicilium habitationibus, id juxta dicta num. 399, exprimi, et v. g. dicti deberet: alias diocesis Passaviensis, in ... vero diocesi Ratisbonensi a tanto N. tempore commorantes, in qua domicilium contraxerunt, vel Paulum N. diocesis nostræ Ratisbonensis, et Annam N. diocesis, Eistetensis, in hac tamen diocesi per N. tempus commorantem, in qua domicilium contraxit) qui super secundo et tertio (vel alio) consanguinitatis vel affinitatis gradu dispensari cupiunt, cum causa in libello eorum supplici expressa, ita pauperes et miserabiles esse, ut ex proprio tantum labore et industria vivant; idque nobis constare ex depositione fide dignorum testium, jussu nostro servata forma instructionis Almæ Urbis examinerum, ambosque orthodoxæ fidei cultores existere, in quorum fidem, etc. » Datum, etc.

404. Resp. III. Si ordinarius reperit, oratores non omnino pauperes, et miserabiles existere, sed vel habere bona, ex quibus annuatim fructus vel redditus percipiunt, vel percipere possent, sufficientes pro sustentatione duorum, aut trium mensium v. g. non potest absolutum paupertatis testimonium dare, sed debet fructus, sed redditus annuos exprimere sequenti aut simili modo.

« Nos, etc. ut supra: testamur N. N. qui etc. possidere bona, ex quibus detractis oneribus annuatim tot florenos percipere possunt; in reliquis autem ita pauperes, et miserabiles esse, etc. » ut supra: idque ob dicta superius num. 387.

405. *Quid? si ordinarius de paupertate oratorum dubitat.* — Resp. IV. Si vero ex depositione testium difficulter se resolvere potest, et dubius vel anxius hæret, optime ac securissime facit, si litteras testimoniales de examine super eorum paupertate facto, ana cum tota depositione testium oratoribus clausas præbet, relinquens judicio officium curiæ romanæ de paupertate oratorum decernere, prout prudenter suadet Corrad. lib. VIII, cap. v, num. 23.

406. *Formula dispensationis in forma pauperum.* — Quæritur V. Quæ sit formula apostolicarum litterarum dispensationis in forma pauperum? Et quæ clausulæ in ea potissimum observandæ? Resp. I. Litteræ dispensationis in forma pauperum in curia romana expediri solent sequenti modo:

« Alexander episcopus, servus servorum

Dei, etc. » ut supra in formula litterarum dispensationis num. 293. allegata, usque ad verba, si per informationem preces veritate niti repereris super quo conscientiam tuam oneramus; post hoc enim paulo aliter, et ita tenor sequi solet: « tunc eosdem Laurentium et Annam, qui pauperes, et miserabiles existunt, et ex suis labore et industria tantum vivunt, imprimis ab invicem separe, deinde, si veniam a te petierint humiliter, eam illis poenitentiam publicam imponas, quæ alios deterreat a similibus committendis, utque idem Laurentius operam suam conferat fabricæ, aut in aliud servitium aliqujus ecclesiæ, vel loci Pii, tribus saltem mensibus, aliaque injungas, quæ de jure fuerint injungenda; qua poenitentia publica peracta ipsos ab incestus reatu, et excessibus hujusmodi, imposita etiam prius eis propter incestum hujusmodi, arbitrio tuo, poenitentia salutari, et recepto ab eis juramento, quod sub spe facilius habendæ dispensationis hujusmodi incestum hunc non commiserint, in utroque foro, auctoritate nostra, hac vice duntaxat, absolvas in forma Ecclesiæ consueta; et quatenus contra ipsos causa quoquo modo in judicium deducta fuerit, parito judicato. Demum si tibi expediens videbitur, quod dispensatio hujusmodi sit eis concedenda, neque scandalum sit ex ea oriturum, super quo conscientiam tuam oneramus, tunc cum eisdem Laurentio et Anna, dummodo ipsa propter hoc raptam non fuerit, ipsique pauperes et miserabiles existant, ac ex suis labore et industria tantum vivant, et postquam in separatione prædicta arbitrio tuo perseveraverint, quod impedimento quarti consanguinitatis gradus hujusmodi, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, matrimonium inter sese publice, servata forma concilii Tridentini, contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare et in eo postmodum remanere libere, et licite valeant, auctoritate nostra dispenses; prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam legitimam nuntiando; volumus autem, quod, si sprete monitione nostra hujusmodi, aliquid muneris, aut præmii occasione præmissorum exigere, aut oblatum recipere temere præsumpseris, excommunicationis lætæ sententiæ poenam incurras, qua tamdiu innodatus existas, donec absolutionem a sede prædicta per satisfactionem condignam ab ipsa excommunicationis sen-

tentia merueris obtinere, et nihilominus absolutio, et dispensatio per te faciendæ nullius sint roboris, vel momenti. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, anno, etc. mensis, etc. Pontificatus nostri anno, etc.

407. *Clausulæ in ea observandæ, quæ?* — Resp. II. Clausulæ aliis dispensationibus communes quomodo intelligi, et verificari debeant, jam patet ex dictis a nu. 313. Restant igitur examinandæ clausulæ litteris dispensationis in forma pauperum speciales, inter quas prima est: qui (et infra), dummodo ipsi pauperes et miserabiles existant, ac ex suis labore et industria tantum vivant. Verum hæc clausula quomodo intelligi ac verificari debeat, jam habes supra a nu. 372. ubi late dictum, quinam ad propositum sint pauperes et miserabiles.

408. In primis ab invicem separe: vi hujus clausulæ debet executor antequam absolvat oratores, vel cum eis dispenset, eosdem (si in eadem domo simul cohabitent) separare; cum enim dispensandi in forma pauperum ante dispensationem publicam pœnitentiam agere, et per tres saltem menses fabricæ piæ laborem impendere debeant, necesse est, ut ad evitandum scandalum populi, et periculum lapsus ex parte oratorum interea separati vivant. Ad quem finem executor facit etiam decretum juxta num. 412.

409. *Dispensandis in forma pauperum debet pœnitentia publica imponi.* — « Deinde, etc. eam illis pœnitentiam publicam imponas, quæ alios deterreat a similibus committendis. » Vigore hujus clausulæ debet executor dispensandis in forma pauperum necessario imponere pœnitentiam, ubi tamen per publicam non intelligitur solemnitas, quæ fit cum quadam forma ignominiosa, sed talis, quæ communitati palam innotescat, ita ut aliis ad exemplum et terrorem esse valeat. Justis, lib. I, cap. VII, a numer. 137, arg. l. 1, C. ad Leg. Jul. repet. et c. *Quæsitum de Pœnitent. et Remiss. cum Concord.* Hinc, licet in pluribus locis dispensandi in forma pauperum ob prævium incestum, debeant in die festo aliquo quando populi multitudo convenit, candelas accensas in manibus tenentes ante fores ecclesiæ ad spectaculum populi stare, tamen, quia hoc genus pœnæ in his partibus est ignominiosum, non videtur quadrare, sed aliud executoris arbitrio assumendum.

410. *Et servitium personale pro pia fabrica*

*certo tempore.* — Utque idem Joannes operam suam conferat fabricæ, aut in aliud servitium alicujus ecclesiæ, vel loci pii tribus saltem mensibus. Vigore istius clausulæ omnino pro dicto tempore demandare debet executor per decretum oratorem ad præfatum servitium ante dispensationem, adeo, ut nec in die dispensare valeat. Justis, lib. I, cap. VII, num. 154, quia dictio saltem est implicativa, non limitativa. Barbos. *de Diction.* 355. hinc, licet alias minima non veniant in considerationem, nec de eis curet prætor. l. *In Commodatis.* 18. § possunt, in fine, tamen id non procedit, quando minimum est conditio vel de forma. Tusch. l. M. concl. 239. num. 39; Decius, in c. I, *de Appellat.* num. 11 et seqq. Barb. *de Axiomat.* axiom. 151, num. 7, arg. l. *Si debitor,* § 1, ff. *quibus modis pignus.*

411. *Per decretum, et quale?* — Quod si ob urgentem aliquam causam v. g. ob legitimationem prolis, oratrice partui jam propinqua, necesse est, matrimonium accelerari, debet executor scribere summo datario Papæ, qui teste Justis, lib. I, cap. VII, nu. 57, Corrad. lib. VIII, cap. VI, num. 57. plenam in his habet potestatem, soletque delegato ita rescribere, ut, si tales causæ, quæ sibi expositæ fuerunt, veræ sunt, ipsumque matrimonium non possit differri, donec tempus servitii expletum sit, factis prius per oratores aliis pœnitentiis impositis, præstitaque per oratorem cautione idonea de conferendo quamprimum contracto matrimonio operam suam ad formam litterarum fabricæ, aut in aliud servitium Ecclesiæ, vel loci pii sibi assignati dispenset.

Cæterum, licet ex prima delegatione nec unicum diem de tribus mensibus remittere possit, potest tamen majus spatium, quam fuit assignatum oratori pro conferenda opera sua imponere pro qualitate incestus, si, uti ordinarie fit, in litteris apponitur determinate tempori dictio saltem. Corrad. loc. cit. num. 34. et alii. Ratio est; quia dictio saltem non excludit majora expressis, nec majorem numerum c. *Excommunicamus.* § *Addamus.* *de Hæret.*

412. Porro pro separatione faciendâ, publica pœnitentia imponenda, et servitio oratoris præstando debet executor facere decretum, quod pro omnibus his tribus potest esse unicum tali modo.

Die, etc. Reverendissimus, etc. in hac parte

delegatus pro executione litterarum juxta formam præscriptam oratoribus pœnitentiam publicam injunxit, et mandavit, ut oratores (si cohabitant) ab invicem separentur, donec, etc. et quod orator per tres, vel sex menses (prout tempus fuit determinatum in litteris) continuos operam suam personalem præstare debeat servitio parochialis ecclesiæ vel alterius pii loci (de quo servitio fides fiat a rectore ejusdem ecclesiæ, vel ad finem, etc.)

Nec potest executor ad dispensationem procedere, donec sibi constet de pœnitentia publice peracta, et servitio per oratorem præstito; de quo solet rector ecclesiæ, vel loci pii, cui servitio, oratori attestationem dare, quæ actis inseritur, et de ea postmodum in executionis litteris mentio fit. Corrad. lib. a. cap. VI, a n. 53; Justis, lib. I, cap. VII, n. 197, et alii. Ratio est; quia, cum hæc in ablativo posita requirantur, conditionem importat. cit. l. *Debitor.* ff. *quibus modis pignus.* Dicitur enim, quæ pœnitentia publica peracta, etc. dispenses; ubi etiam notandum verbum peracta, utpote actum perfectum, et consummatum ex natura sua denotans, arg. l. I, § fin. ff. *Quod quisque juris.*

413. *Potest et debet episcopus quævis matrimonia prohibere, et impedire, ex quibus timetur scandala.* — Nec scandalum ubi ea, dispensatione scilicet, sit oriturum, vi hujus clausulæ potest, et debet executor negare dispensationem, si ex ea scandalum rationabiliter timet. Felin. in c. *Nihil prodest.* *de Præscript.* Corrad., loc. cit., nu. 63; Genuens., in *Praxis Curie Archiep. Neapolit.*, cap. XX, num. 13. Ratio est; quia sicut ad vitanda scandala dispensatio conceditur per dicta supra, sic e converso, si ex dispensatione timetur scandalum, nullo modo fieri debet, arg. c. I, *de Apostat.* et c. *Nihil de Præscript.* ibi: nihil cum scandalo, etc. Imo potest et debet episcopus quodvis aliud matrimonium, etiam ubi nullum aliud intervenit impedimentum, ex officio impedire, quando ex eo timentur scandala v. g. graves inimicitie inter familias. Genuens., loc. cit. Corrad., lib. VIII, cap. VI, numer. 64; Justis, lib. I, cap. VII, num. 239, arg. c. *Super eo.* *de Cognat. spirit.*

414. *Si executor dispensationis in forma pauperis aliquid accipit, dispensatio nulla est.* — Et nihilominus absolutio, et dispensatio ex te faciendæ nullius sint roboris vel mo-

menti: hæc clausula illud speciale facit, quod, licet etiam prorsus nil accipere liceat executori, quando litteras dispensationis in forma communi exequitur, juxta dicta num. 316. tamen, si aliquid pro illarum executione accipiat, exinde non invalidetur dispensatio. Pro executione vero litterarum dispensationis in forma pauperum, si aliquid accipit, præter reatum culpæ, et pœnarum etiam nulliter agit, ipsaque dispensatio, et inde secutum matrimonium nulla sunt, ut patet ex claris verbis clausulæ, quod bene notandum.

415. *Praxis exequendi litteras in forma pauperum.* — Quæritur VI. Qualiter in praxi executor litteras dispensationis in forma pauperum exequi possit, et debeat? Resp. I. Eodem ferme modo, quo litteras dispensationis in forma communi juxta dicta a numer. 339, ita tamen, ut observet speciales clausulas a numer. 407, allegatas; vi quarum debet. I. Oratores, si cohabitant, separare, juxta dicta numer. 408. II. Publicam eis pœnitentiam imponere per dicta numer. 409. III. Ipsi oratori operam personalem imponere vi dictorum num. 410. IV. De his peractis attestationem habere; et tunc deum dispensare per dicta num. 412.

Porro in capiendâ informatione, an preces veritate nitantur juxta dicta a num. 402, debet executor testes prius de paupertate oratorum jam examinatos, denuo reassumere, eosque super sequentibus interrogatoriis examinare:

« 1. An a se nuper deposita ratificent, vel aliquid addendum, vel detrahendum habeant? et quid?

« 2. An non sciant, vel dici audiverint, quod oratores ab illo tempore, quo testes fuerunt examinati, acquisiverint alia bona, ex quibus majores fructus percipere possent? et quos fructus percipere possent.

« 3. An esse possit, quod alia bona acquisiverint, ex quibus majores fructus percipere possent ipsis testibus ignorantibus? »

Si respondent ex certa causa esse posse, quod alia bona acquisiverint, assumendi sunt etiam alii testes desuper examinandi, qui sicut et præcedentes semper debent dicere causam, scientiam, seu rationem, unde hoc sciant, per vulgaria.

416. Resp. II. Formula executionis litterarum apostolicarum dispensationis in forma pauperum est eadem cum allegata num. 365, pro forma communi; ita tamen, ut eidem

inserat, quod oratores separaverit, eisque pœnitentiam publicam, et oratori servitium personalem ad tempus in litteris apostolicis præscriptum injunxerit juxta annotata in dicta formula num. 363, allegata. (ADNOTATIO CII.)

## § IX.

DE PRAXI PROCURANDI DISPENSATIONEM PRO SOLO FORO INTERNO: UBI ETIAM DE FORMULIS LITTERARUM DISPENSATIONIS HUIUSMODI, CLAUSULIS, EXECUTORIBUS, ET EXECUTIONE EARUMDEM.

417. *Ratio continuationis.* — Quamvis in præcedentibus multa jam dicta habeantur de dispensatione pro solo foro interno, nihilominus, quia de eo incidenter tantum (excepto § II), pro foro externo autem principaliter egimus, in præsentibus §, principaliter nunc etiam agemus de dispensatione pro solo foro interno, quæ petitur, et conceditur per sacram pœnitentiariam, quando impedimentum est occultum. Quando autem ad propositum impedimentum dicatur occultum, habes supra num. 44. Hoc notato.

418. *Sacra pœnitentiaria dispensat super omnibus, et solis impedimentis occultis.* — Quæritur I. Super quibus impedimentis? et ex qua causa dispensare possit, et soleat sacra pœnitentiaria pro foro interno? Resp. I. Super omnibus et solis impedimentis occultis jure duntaxat ecclesiastico dirimentibus, vel impedimentibus dispensare ex justa causa potest, et solet sacra pœnitentiaria tam ante, quam post contractum matrimonium. Justis, lib. I, cap. VIII, n. 29; Filiuc., tom. I, tract. X, p. 2, cap. x, cum communi aliorum patetque ex constitutione Pii V. *In omnibus rebus*, ubi pœnitentiariæ potestatem dispensandi pro foro externo restrinxit ad solos casus occultos pro foro interno. Corrad., lib. VII, cap. IV, n. 4. Justis, lib. I, loc. cit., num. 3, apud quos dictam bullam per extensum habes.

419. *Limitatur aliquo modo quoad impedimentum consanguinitatis.* — Limitatur tamen conclusio quoad impedimentum consanguinitatis, utpote super quo ante contractum matrimonium nunquam, post contractum vero in tertio, item in quarto gradu (si consanguinitas est occulta) minime vero in primo vel secundo dispensare solet, etsi consanguinitas sit occulta. Ita ex stylo et praxi. Justis, lib. I, cap. VIII, num. 30; Filiuc., loc. cit. Super impedimento affinitatis autem

etiam in primo gradu lineæ rectæ, et transversæ dispensat, doctores citati, et confessariis notorius stylus.

420. *Causæ ob quas dispensat.* — Resp. II. Sacra pœnitentiaria ex iisdem causis dispensare potest, et solet, pro foro interno, ex quibus Papa dispensare solet pro foro externo juxta dicta a numer. 69, si demas causam generalem dictam ex rationabilibus causis (cum nullam taxam recipiat) probationem facit stylus et praxis.

421. *Quænam in supplicatione ad obtinendam dispensationem pro solo foro interno exprimi debeant?* — Quæritur II. Quænam apud sacram pœnitentiariam necessario exprimi debeant in supplicatione pro obtinenda dispensatione in ordine ad solum forum internum? Item quæ ommissio, falsitas, vel error vitiet, ac subreptitiam reddat dispensationem? Resp. I. Non omnia quidem, sed tamen potiora, quæ ad impetrandam dispensationem pro foro externo exprimenda sunt juxta dicta, § IV, exprimi debent ad eandem impetrandam pro solo foro interno. Prima pars, quod non omnia exprimi debeant, patet inductione. Nam exprimi non debent.

1. Nomen vel cognomen oratorum. 2. Nec nomen diœcesis. 3. Necessario non est exprimendus gradus propinquus (nisi sit primus) sed sufficit remotiorem exprimere, casu, quo oratores inæqualiter v. g. in secundo et tertio, vel tertio et quarto existunt juxta dicta supra § IV. 4. Necessario non est exprimenda copula, nisi sit habita cum spe facilius obtinendi dispensationem. Ratio est; quia fundamenta supra a n. 185, pro necessitate exprimendi copulam allegata, militant tantum pro foro externo, uti etiam declarationes cardinalium, utpote quæ in materia dispensationis matrimonialis pro foro externo emanatæ censentur, nisi aliud exprimatur, ut bene advertit Corrad., lib. VIII, cap. I, num. 63, et ex ipso Justis, lib. I, cap. VIII, num. 21. Nec erit necesse de novo impetrare litteras dispensationis, casu, quo oratores post obtentas, sed executioni nondum mandatas litteras copulam inter se repetant, vel orator v. g. de novo cognoscat consanguineam illius, cum qua modo vult contrahere; si in sacra pœnitentiaria prius jam exposuit occultam affinitatem ex præcedente copula cum eadem consanguinea prius habita. Ut bene ampliatur Corrad., loc. cit., n. 50, secus est, si pro foro externo sollicitatur dispensatio juxta dicta n. 188

422. Altera pars videlicet, quod potiora exprimenda sint, probatur etiam inductione nam necessario exprimenda sunt. I. Ipsum impedimentum in specie juxta dicta, n. 150. II. Si oratores plura habent impedimenta occulta, omnia exprimenda sunt juxta dicta n. 151. III. Et quidem in eadem supplicatione per dicta n. 152. Nisi unum esset publicum, alia vero occulta per dicta n. 53. IV. Necessario allegari et exprimi debet juxta dispensandi causa aliqua ex dictis a n. 69. Plerumque autem allegari solent scandala secutura (ob copulam præcedentem v. g. vel jam contractum matrimonium juxta dicta n. 49 nisi dispenseatur). V. Exprimi debet, si matrimonium jam est contractum juxta dicta num. 157. Item an in facie Ecclesiæ et præmissis denuntiationibus, bona vel mala fide sit contractum. VI. Gradus impedimenti consanguinitatis, et affinitatis juxta dicta num. 163. VII. Circa cognationem spirituales occultam debet exprimi, an sit filiatio, vel compaternitas simplex, vel duplicata juxta dicta n. 200. VIII. Circa impedimentum criminis, an cum, vel sine machinatione contigerit juxta dicta n. 202.

423. *Quis error? et quæ falsitas vitiet illa?* — Resp. II. Eodem modo, quo pro foro externo, etiam pro solo foro interno falsitas circa causam motivam, seu finalem, et principalem, non item circa impulsivam vitiat, et invalidatur dispensatio per dicta supra § V, a n. 205, ubi vide. Sufficit autem verificari causam tempore, quo confessarius executioni mandat litteras dispensationis juxta dicta num. 218.

424. Resp. III. Error circa impedimentum vel gradum pariter eodem modo vitiat, et annullat dispensationem pro solo foro interno sicut pro externo juxta dicta n. 163 et n. 215

425. *Modus supplicationis pro dispensatione in ordine ad solum forum internum.* — Quæritur III. Quo modo supplicatio pro impetranda dispensatione in ordine ad forum internum in praxi fieri, et exprimenda exprimi possint et debeant? Resp. I. Quamvis supplicatio ad obtinendam dispensationem pro solo foro interno fieri, et exprimenda exprimi valeant eodem modo, et stylo, quo fit pro foro externo juxta dicta § VI (excepto quod nomina oratorum non exprimantur, aliaque fiat inscriptio), tamen ille modus necessarius non est, sed sufficit, si necessario exprimenda juxta dicta n. 422, præser-

tim vero impedimentum et gradus, ipsaque dispensandi causa ad captum clare et sufficienter sine superflua ambage exprimantur. Patet conclusio continua experientia et praxi, qua constat innumeros confessarios pro dispensatione supplicantes, non eundem stylum et modum servare in scribendo, et tamen obtinere dispensationem; dummodo necessario exprimenda ad captum sufficienter explicentur. Expediit nihilominus, ut servetur supplicandi stylus in curia usitatus.

426. *Formula variæ talium supplicationum.* — Resp. II. Inscriptio in supplicatione ad obtinendam dispensationem pro foro interno non fit Papæ, sed summo pœnitentiario (qui est unus ex cardinalibus S. R. E.) uti patet ex subsequentibus supplicationum formulis, quas pro majori commoditate parochorum, et aliorum confessariorum, præsertim in hac re minus practicoorum apponere, utile duximus, juxta praxin et stylum de facto consuetum et receptum in sacra pœnitentiaria. Circa quem notandum, quod, si unus tantum conjugum conscius est impedimenti ex delicto occulto (uti plerumque res se habet) non ambo conjuges, vel sponsi, in plurali, sed reus in singulari ficto nomine supplicet; uti liquet ex sequentibus.

**Formula supplicationis pro dispensatione super impedimento affinitatis in primo gradu lineæ rectæ post jam contractum matrimonium.**

« Eminentissime et reverendissime Domine, etc

« Exponitur humiliter eminentiæ vestræ pro parte devoti illius oratoris (ponitur N. N., vel fictum nomen v. gr. Caii laici), quod ipse alias conscius impedimenti (si impedimentum ignoravit, uti multi simplices ignorant, dicatur loco conscius, ignarus impedimenti) matrimonium per verba de præsentibus in facie Ecclesiæ contraxit, et successive consummavit cum muliere, cujus matrem antea carnaliter cognoverit. Cum autem dictus orator ob affinitatis impedimentum ex prædictis proveniens (quod occultum est) in eo matrimonio remanere non possit absque sedis apostolicæ dispensatione: etsi divortium inter eos fieret, scandala exinde verosimiliter orirentur, cupit a præmissis, de quibus summe dolet, absolvi, et secum super impedimento ad remanendum in dicto